

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Christoph Otto Theodorus Iuttingius

**De Judae Iscariotis Communione Sacramentali : Disputatio Publica quam una
cum Augustanae Confessionis Articulo X.**

Rostochii: Kilius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740018418>

Druck Freier  Zugang



Rk Rec 1660
Johann Christoph Ottomis/a
Vert.: Theodor Tütingius



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740018418/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740018418/phys_0002)

DFG

DE
JUDÆ ISCARIOTIS
COMMUNIONE
SACRAMENTALI,

DISPUTATIO PUBLICA

quam

unâ cum Augustanæ Confessionis

Articulo X.

Deo benignè annuente
Consensu Venerandæ FACULTATIS
THEOLOGICÆ,

PRÆSIDE

VIRO plurimum Reverendo, Amplissimo
atq; Excellentissimo

DN. JOHANNE CHRISTO-
PHORO OTTONIS,
S.S. Theologiæ D. & Prof. celeberrimo,
Domino, Præceptore, Promotore ac fauatore
suo ætatem devenerando,
Examini eruditorum publico exponit

THEODORUS JUTTINGIUS;

Battbergæ - Westphalus,
In Auditorio majori ad diem 1. Febr.
boris antemeridianis.

ROSTOCHII,

Sub descriptione Preli KILLIANI. c. 1. I. p. L.

I. N. J.

§. I.

Ugustanæ Confessionis articulus decimus hic est:
De cœna Domini (confesores) docent, quod corpus &
sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescientibus
in cœna Domini, & improbant secus docentes. Repro-
bati sunt sacramentariorum antesignani, Andreas
Bodensteinius ex patriâ Carolostadi⁹, & Zwinglius
Glaronensium & post Basileensium Doctor, cum funesta plurimorum
infeliciter suffragantium catervā, qui Christi carnem & sanguinem in
sacrâ cœnâ non vere & substantialiter, sed vel qua solam divinitatem,
vel solis hominum cogitationibus & fidei (videnti infinitis spatiis di-
stantem à terris carnem Christi) adesse docuerunt. Illi tam periculoſo
dogmati Protestantes nullâ occasione orthodoxiam luculentioribus
phrasibus apodixi divinâ munitam opponere neglexerunt, afferentes,
non spiritualiter duntaxat fidei Christum in cœnâ exhiberi, sed verum
& substancialē corpus & sanguinem Christi, in, cum, & sub pane & vino
omnibus manducantibus, tam dignis quam indignis, tam fide ornatis
quam infidelibus, tam impio Judæ quam reliquis Apostolis. D. Luthe-
rus Tom. II. Witteb. Germ. f. 525. Ego, ait, omnes eos pro sacramenta-
rius & fanaticis agnoscō qui credere nolunt, quod panis Domini in sacrâ cœnâ
sit verū ipsius naturale corpus, quod impius quipiam, vel Judas ipse non
minus ore accipiat, quam D. Petrus & omnes alii sancti. Formula con-
cordiae de cœna Domini, f. 743. quod, ait, non tantum pii & credentes
in Christum, verum etiam indigni, impii, hypocrite (v.g. Judas & hujus fa-
rince homines, qui nullam prorsus spiritualem cum Christo communicationem
habent, & sine vera pœnitentiâ atq; conversione ad Deum ad cœnam Domini
accedunt) etiam verum corpus & verum sanguinem Christi ore in sacra-
mento sumant, id divus Paulus expreſſe docet. 1. Cor. X. I. Mart. Chemnitius
de S. S. Cœnâ cap. X. Veteres, ait, quando de mandatione indignorum
in ce-

in cœna disputant, clarissime ostendunt quid in actione Cœnae dominica cum pane & vino adsit & exhibeat, quodq[ue] illud non tantum fide spiritualiter, verum etiam vescientium ore accipiatur &c. Christus enim non geminam fecit cœnae sue institutionem, unam pro dignis alteram pro indignis, ut ad Petrum quidem verba ita sonent, Accipite manducate hoc est corpus meum: Ad Judam vero alia sunt verba, scilicet, accipite, manducate, hoc tantum nudus panis est. Sed in genere ad omnes qui cœna intererant inquit: Accipite, manducate hoc est corpus meum. Eadem de indignorum manduca-
tione, exemplo Judæ Iscariotis probatâ, orthodoxi (Sacramentario-
rum antagonista) & sequentib[us] temporibus, ut ex innumeris iplorum
scriptis patet, proposuerunt. Nos exercitii gratia manduca-
tionem indignissimi Latronis Judæ sacramentalem exposituri, immorabimur
propositioni huic: Judas verum & substantiale Christi corpus in sacra
cœna accepit.

J U D A S.

§. II.

Dicebatur Judas, Simonis à parente Joh. VI. v. 17. cap. XIII. v. 2. ad differentiam alterius Simonis in discipulorum dodecade, qui Judas, Jacobi, nempe frater, Judæ vers. 1. item Thaddæus vel Lebbæus audiebat. Et Iscariotes ab oppido Carioth in tribu Judæ, Jos. XV. 25. Jer. XLVIII. 23 Amos. II. 2. ex quo oriund⁹ fuit, ipse ex civibus primariis, nisi Rabbinorum regula fallit, illos, qui de nominibus terræ sue vocantur plerumq[ue] in-
signes in illis locis fuisse. Theoph. in cap. XXVI. vocat illud oppidum Iscara, cuius tamen nulla in scripturis extant indicia. Derivatio à loco patriæ placet inter alios Hieronymo, Cyrillo, Caninio, Drusio. Ad eam allusivæ aliae minus principales reduci possunt, ut quod dicatur ita אֶשְׁכָר mercede ein rechter Schäfferer conf. Zach. XI. A&t. I. 18. Vel ab שָׁכָר quasi vir obscisionis reprobatus & rejectus ē numero Apostolorum & electorum. Minus ad rem Orig. tract. XXXV. in Matth. ait, se audivisse quendam ex ponentem patriam proditoris Judæ se-
cundum interpretationem Hebraicam quasi suffocatum vocari; Ex Syriaca enim lingua id ortum videtur quibus סָכָר est aliquando strangulavit, non vero in nomine Judæ in quo ס loco ו positum fuit. Hierony-
mus lib. de nominibus Hebraicis alias derivationes observat. Hæc vox,
ait, significat memoriale Dei. Quod si eam vocem ita legere velimus, ut qui-
dam legunt Isacarioth, significatur eā voce merces, quasi præsignificaretur ea
voca-

vocabulo nefaria merces qua Judas vendidit Christum. Potest etiam ea nomine significari memoria mortis, nec sane fieri potest quin cum audimus, vel ipsi recordamusur nomen Iude, non simul etiam animum nostrum subeat recordatio passionis ac mortis Christi. Hunc Judam Servatoris nostri proditorem, Satanam, furem, filium perditionis, cur Christus in sanctum Apostolorum chorum asciverit? ipsius voluntati sanctissimae & viis imperscrutabilibus relinquimus. non explodentes interea pias de admirabili facto patrum meditationes, Orig. tract. XXXV. in Matth. Ambros. in cap. V. Lucx. August. & aliorum, quæ hue recidunt: id factum ut scriptura impleretur; ne turbemur si videamus electos gregis Dominici pastores in lupos commutari; vel Ecclesiam a malis administrari; ne personas sed doctrinam aestimemus, persuasi ministerium etiam impiorum si verbum Dei integrum dispenset a Deo efficaciam suam habere; humilitatem magni faciendam; non oppido totam Ecclesiam collapsaram si columna cadat.

S. III.

Imprimis scriptura mortem, & epitaphium Iude iniquissimi annotavit, eorum speculum qui in viis injustitiae & securitatis divitiæ querunt, & pro desideriis suis restim, mortisq; æternæ præmium reperiunt. In specie mortem, delineatam Matth. XXVII. 5. Act. I. 18. vocibus ἀπήγαγο & πενθεὶς γενόμενος οἰλάκησε μέσος. Απήγαγο est strangulare, laqueo mortem concilcere Thucyd. νομίζει τὸν δέρδρων τὸν τοῦ ἀπήγαγοτο. LXX. supponunt ρῆμα suffocari 2. Sam. XVII. 13. Referunt Iudei ρῆμα sive strangulationem fuisse quartum, ex usitatis apud Iudeos suppliciorum generibus, quando facinorosus ad genua in simum demergebatur, collumq; funi, quod alter hinc, alter illinc trahebat ad mortem usq; illigabatur, quâ morte mulctabantur percutiens patrem aut matrem, furans animam de Israel, senex contradicens consistorio, pseudopropheta, & prophetans in nomine idoli, rem habens cum uxore alterius, traducens filiam sacerdotis & subagitans eam. Hoc, meritis suis, digno suppicio Judas in seipsum justam carnificinam exercuit. Vox πενθεῖς præcipitatus, pronus, est ex τῷ & νεύω nuto, adhibetur etiam Sap. IV. 19. distinguenda à τῷ πενθεῖς vel πενθεῖς γενόμενος inflatus factus, quod est à πενθεῖ, ex quo LXX. seniores Num. V. in suppicio divino mul-

ris adulteræ & "perjuræ scripserunt", πηγῇ θύεται τὴν κοιλίαν, tumore illi venter inflabitur, & τὴν κοιλίαν πεπένθη ράβη. λακέω idem est ac γέγγυμι, unde λακές ruptura. Laqueo ergo vitam infelicem Judas terminavit, cuius facti Matthæus (verba sunt Casaub. Exercit. XVI ad Ann. Baron. Anni XXXIV. num. LXXIV) expressit initium, Lucas finem, supplens divinitus quod deerat narrationi Matthæi: Consilium proditoris fuerat, strangulatione sibi vitam eripere; aptat collo laqueum; impellit se ut eo facilius fauces elidat; Placuit divinæ providentiæ ut non simplici morte sceleratus proditor periret, frangitur laqueus, cadit in faciem Judas: id enim est πέγγυς χνόμῳ ☩, caderet autem vel in saxum fortasse asperum, vel in ligni truncum acutum, aut alias Dei iudicio venter illi finditur, intestina effunduntur. Addit D. Gerh. Harm. cap. CXC. multa prodigia divinæ ultiōnis manifesta indicia concurrisse. Nam si vel maximè quispiam suspedio animam intercludat, non tamen propterea crepare mediam, si vel maximè crepet medius non tamen statim effundi viscera, si vel maximè quedam effundat viscera, non tamen effundi omnia, epar, ventriculum, renes, intestini: &c. Hanc fonti consonam interpretationem confirmat antiquissima Ignatio ascripta traditio in Ep. ad Philip. & Tragedia Christus patiens inscripta, apud Greg. Nazianz. & infelix illorum consuetudo qui mortem ex angustiâ animi plerumq; suffocatio ne anticipare festinant. Rejiciuntur ergo merito aliorum de interitu Judæ fabulae, ut cum Oecumenius in cap. I. Act. vult Judam præcipitem in terram prolapsum supervixisse, ad magnum autem impietatis exemplum in hoc mundo mansisse, in tantum corpore inflatum, ut neque progredi posset, neque via, per quam agi plaustrum facile poterat, ipsum caperet, tandem vero cum currus levi cursu transiret, eo compressum & obtritum viscera effudisse. Opinio enim ea à Papia (Eusebii iudicio autore futilissimo & fabuloso, qui multa corruptit in Apostolicis narrationibus ex prava interpretatione) orta fuit, cum confunderet τὸ πέγγυς & πηγῇ εἰς, voces immane quantum differentes, contra consonam codicum sacrorum lectionem nec sine stupore insignis absurditatis: Judam scilicet sic intumuisse ut tota via ipsum non caperet, & tamen currum transeuntem ipsum obtrivisse. Si enim Judæ corpus totum, viam totam implevit, quā currus transire po-

ire potuit ipsum perstringens? ut mirum sit Sixt. Senens. lib. VI. bibl.
annot. MCCXXI I. & Baron. an XXXIV. num LXXIV. tam foetidam
fabulam exosculatos fuisse. Nec melior est sententia Hug. Grotii ad
Matth. c. XXVII. & Heinsii ad Matth. c. XXVII. & ad Act. cap. I. asseren-
tium Judæ mortem non ex laqueo sed ex ἀγχόνῃ & gravissimo ex-
ulceratae conscientiae tormento. In quo tandem non e loco sublimi,
sed simplici casu, in terram prolapsus, intestina effuderit; qua morte
etiam Achitophel perierit, teste Elia in Thisbi. At omnia fabulose!
Achitophelem suspendio periisse & literæ sacrae & Josephus lib. VII.
IX. astruunt. Elias autem in Thisbi non nisi alienam refert senten-
tiam. Nec sufficit quævis dixisse, pondera ex sacris verbis fluentia
quibusvis imaginationibus præferenda sunt. conf. Danb. in Christeid.
Act. I. Theat. I. phœnom. III.

S. IV.

An vero Judas in urbe vel extra urbem, an ex arbore an ex tra-
be, an in agro vel horto perierit, scriptura præteriit, ut fingenrum
exercitia sint arbor quam Botanici monstrant proditoris olim pati-
bulum. Ficus Juvenci Poetæ lib. IV. hist. Evangel. de qua ait: Exor-
sus suas laqueo sibi sumere pœnas, infamem rapuit ficus de vertice mor-
tem: utitur enim Poeta voce ficus synechdochice pro arbore quavis
(secus ac Beda ante Baronium sensit, qui propriè vocem ficus intel-
ligere non dubitant) quomodo & picea quamvis arborem ex qua fi-
unt naves significat: & olim sententiæ judicis condemnati, ex arbori-
bus penduli siebant, unde carmen illud apud Livium. I. lictor, colliga
manus, arbore infelici suspendito. Consule de hisce prolixius agen-
tem Casaub. loco superius citato, ad An. XXXIV. num. LXXIV.
Quod tempus suspenditii hujus attinet, non fuit illud quod autor quæ-
stionum Vet. & Nov. Testament. (quæ Augustino falso ascribuntur)
Q. XCIV. ex Magistro historiæ refert, Judam auditam Christi resurrec-
tione quam non sperabat, se suspendisse: Vel quod autor Comma. in
Marcum (quæ Hieron. attribuuntur) vult, post Christi ac latronum
in cruce mortem id factum; sed tōte Matth. XXVII. v. 3. quæ vox
mortem condemnati Ischariotis immediatè ad condemnationem &
extraditionem Servatoris nostri in manus Pontii Pilati præsidis re-
stringit. Parentare videtur non sine ironia aliquà perdito illi filio Spi-
ritus S. Act. I. 18. 19, statuens premium perfidiae agrum sanguinis. Non
quod

quod sibi ipsi Judas illum comparaverit & in eo ex angore mortuis fuerit, & computruerit, ut Heinrich existimat; sed quod illum agrum adeptus sit, ut perenne suæ infamiae monumentum, scilicet pro Apostolicâ sorte fordes figulinas, pro cœlo Ceramicum, factore, caderibus, aspectuq; horrendum. Unde figuli dicitur ob figulinas officinas, rudera & intertrimenti, uti ager fullonis 2. Reg. XIX. dicitur lacus propè piscinam, in quo fullones fordes & abluerant & deponebant. Sic Jerem. XIX. 11. juxta portam fictilem à fragmentis fictiliū dictam collocatur tophet s. Gehenna, vallis filiorum Hennon in quo abjectissimi quivis sepeliebantur 2. Reg. XXIV. 6. aeternæ damnationis & inferni (receptaculi eorum qui abjicientur à facie altissimi) tristissimum symbolum.

IN CÆNA DOMINICA ACCEPIT VÉRUM CORPUS CHRISTI.

§. V.

Circa probationem ejus quod Judas iηος ἀπωλέας Christi sanguinem sceleratē sitiens, cum eucharistico pane & vino verum & substantiale Christi corpus & sanguinem, in sui ipsius condemnationem in prima hujus sacramenti institutione acceperit, duo imprimis expendenda sunt. Et quod cœna illi eucharistica interfuerit, tum nondum ab Apostolis digressus cum illa manibus salvificis distribueretur: Et quod indignitas ejus non obstiterit quo minus idem, quod Apostoli reliqui, acciperet. Quod primum attinet (scilicet Iude mandationem sacramentalem, quam post optimos patres scriptis suis tuiti sunt, ex Scholasticis, Lombard. IV. sent. distinct. XI. Thom. p. III. quest. LXXXI. art. 2. & hosce sequentes alii fere omnes. Ex Pontificiis Bellarm. lib. i. de Eucharist. cap. XIII. Jansenius Harm. cap. CXXXII. Baron ann. XXXIV. num. 63. Pererius diff. XXVII. in cap. XIII. Johan Maldonat. in cap. XXVI. Matth. &c. Ex Calvinianis Calvinus lib. IV. instit. cap. XVII. Beza in Joh. cap. XIII. Martyr. class. IV. loc. cap. V. Bucerius in cap. XXVI. Witak. de scrip. q. VI. cap. XII. tom. I. contr. Duræum p. 69. &c.) sequentes hypotheses, nisi in tenebris versari velimus confirmandas sunt (i) Lucam (qui prodictionis revelationem Johanni in aurem factam, ipsi cœna subjungit) cap. XXII. 19. 20. 21. 22. 23. verum temporis ordinem sequutum fuisse. Hunc enim Evans

Evangelistam Lucam ordine accuratori, exquisitorie chronologia, & serie di-
gestiori, secundum et tempora quibus omnia contigerunt, præ Matthæo &
Marco historiam suam Evangelicam consignasse in confessio est. Vel olim
Epiphanius & Augustinus id notaverunt; inter Evangelistas illos, qui post
alios scripserunt, priorum scripta vidisse & legisse, & repetitionibus suis,
ordinis rationem aliquam monstrare voluisse. In specie Lucas de suo Evan-
gelio cap. I. v. 3. præfatur, se historiam sacram altius repetiturum & ordina-
tius: Insinuant id voces (1) καθεξης, ordine serieq; perpetuâ ab ἔχομαι pro-
xime sequor, cohæreo, quomodo Petrus visionem suam de tollendâ in N. T.
ceremoniali immundicie & hominum discrimine, ordine optimo & non
turbato καθεξης retulisse dicitur Act. c. XI. 4. (2) τὸ ἀειβᾶς in quo Syrus
reddens per ΠΙΝΔΑΣ curiosam Lucæ diligentiam cum anxâ quadam solli-
citudine conjunctam agnovit. (3) τὸ παρηκόλαζοντο πᾶσι, quod notat
cognitionem non superficiariam sed certam, solidam & perspectissimam,,
in qua nihil non, quod pertinet ad historiam omnibus partibus & numeris
absolutam, (in qua chronologias accuratum studium primum esse debet)
attenditur. Usurpat Demosthenes contra Timocratem, & Lucianus in Sym-
posio verbum hoc de exacta pvestigatione negotiorum, quibus ipsi non
intersuerant. Quid vero juvat accuratissima pvestigatione, in perfectissi-
mam rei gestæ notitiam descendisse, si eam, ubi narrato opus est, nec ordi-
nate nec candidè exprimere velimus. A qua perversitate Lucam & res ipsa, &
veneranda antiquitas dudum absolvit. Vocat inde Tertullianus non inveniu-
ste scriptum Luca digestum: historia Evangelica. Adeòq; non errabit qui ordi-
nem Lucae in historia ultimarum Christi cœnarum, certo pede sestat⁹ fuerit.

S. VI.

II. Christum tres cœnas, in ultimâ nocte qua traditus fuit, cum discipulis
suis celebrasse. Prima legalē Paschalis, de qua Matth. XXVI. 17. Marc. XIV. 12.
Luc. XXII. 7. Secundam communem ieu vulgarem, de qua Matth. XXVI. 20.
Marc. XIV. 18. Luc. XXII. 21. exponente ullo ejus Scalig. lib. IV. de emen-
datione temp. p. 271. Maxima solemnia ut Pascha, Pentecostes, Scenopeja floren-
tibus Judæorū opibus ac templo stante semper duarum cœnarū commissione trans-
igeabantur. In priore hostius immolatus vescabantur, hoc erat sacrificium ipsum..
In alterâ quædā canebantur εἰδαστικὴ εὐχαριστία & vocabatur סעודה
מפסחא hoc est δεῖπνον ἀπελυτικὸν, cœna dimissoria, quæ erat velut secunda
mensa apud gentiles. De Paschali in specie refert loco cit. f. 272. Secunda men-
sa Paschalis ab aliorum solemnium mensis multum differebant. Ean. in aliis so-
lemnibus instruebantur bellariis, easq; aut græco verbo θήνωμον, aut patrio קנוּת

vocabant. At in paschate interdicebantur convivæ omni genere belliorum, in quo-
rum locum asserebatur in triblio sive paropside ecclesiarum ex intybis & lactucis agre-
stibus, quarum quia tristis & amarus est succus, propterea ex aceto & alio embannato
conferebatur, in quod azyma & amara illa olera intingebantur. כְּרוֹסָה ipsorum
linguâ appellatum &c. Tertiam sacrosanctâ venerationis, sacramentalem illam
Novi Testam., in qua sub pane & vino, corporis & sanguinis sui communio-
nem Apostolis concessit, & pro Christianis omnibus sequentium temporū
instituit Matrh. XXVI. 26. Marc. XIV. 12. Luc. XXII. 19. Cœna Paschalis ad
festi illius essentiam requirebatur: sequens communis ad festivalis gaudii,
ex lancio impulsu profluam, contestationem; Tertia instituebatur a Chri-
sto in locum primæ, in quo non agnus typicus, sed yerus ille promissus (in
corpo suo expiativè peccatum mundi portans) epulandus proponeretur.
Singulis cœnis his singulæ præmissæ fuerunt pedum lotiones. Primæ & secun-
dæ ex instituto Judæorum & canone paschali libri קְרוֹשׁ פֶּסְחָה subente la-
vari, tum ante agni paschalis commessionem tum ante secundas mensas.
Scal. lib. VI. de emend. temp. p. 271. id sic exprimit: cum ritus paschalii jube-
at bis lavare, primum IESUS ex consuetudine quotidiana ante lavit, quem discum-
beret, ut agnum comedaret, propter azyma verò & pascha ex causa solemnitatis
agni assumto lotionem repetivit: Nam hæc secunda lotio est Paschalii; sed ex-
emplum humilitatis simul in ea instituit, ut cui hoc à samelio prestatu debebat, ipse
in eo famulos anteverterit. An vero Christus ipse tertia vice pedes apostolo-
rum suorum laverit Evangelistæ non retulerunt, & ex silentio in negativam
nos abire permittunt. Aperte verò testantur, illa lotione quæ præmissa fuit
institutioni sacræ cœnæ, ipsum Magistrum dominum & Deum, apud disci-
pulos servos & homines functum fuisse. Et quidem tum cum secunda cœna
fere finita esset. Id enim volunt verba δέπνυς οὐούδες Joh. XIII. 2. cum cœ-
na peracta esset. Syrus נִשְׁמַרְתָּא cum cœna ceremoniales ad si-
nem suum jam jam deductæ essent, reliquiis cœnæ communis epulum ad-
huc continuantibus. adeoq; mensa nondum plane remotâ, sed pane & vi-
no, pariter & herbis amaris ex consuetudine præsentibus, in quas buccellam
intinctam Judæ Christus porrexit. Ex quo facile deprehendimus quam pro-
cul à veritate absint qui, Vel cum autore tractatus de ablutione pedū, qui Cy-
priano falso tribuitur, volunt Christum pedes abluisse post sacræ cœnæ in-
stitutionem: Vel cum Ofiandro in com. lib. IV. Harm. præmisso Christum hoc
ineffabilis suæ humilitatis testimonium ipsi agni paschalis esui: Vel cum Au-
gustino lib. III. de consens. Evang. fecisse id Christum ante cœnam comunem:
ut prolixius talia omnia expedit & refurat Gerh. Harm. Evang. cap. CLXX.
III. Hinc

§. VII.

III. Hinc ex monumentis Evangelistarum liquidum sit etiam Judas, tum in pedum ablutione, tum in sacra cœna dispensatione, praesentem fuisse. Apparet id (1) inde quod Christus apud Lucam cap. XXII. 21. cum sacramentum sui corporis & sanguinis discipulis porrexisset, oppido confert suam benignitatem & amorem, cum cruento Ischariotis consilio, verbis τὸν ἰδεῖν χειρὶς τῷ διδίδειται, quibus (Augustino judice) evidentissime in praesentem proditorem (solo Johanne advertente) digitus intentus fuit (2) quod in manifestatione proditoris (quam post coenam sacramentalem factam Lucas Chronologia observantissimus afferit) Marcus cap. XIV. v. 17. & 20. numerum duodecim Apostolorum integrum adhuc fuisse monstrat, unde Ecclesia in hymno canit, *cibum turbæ duodene se suis dat manibus.* (3) Judas omnibus modis id egit quo minus videretur sui Domini proditor: non semel verbis Christi verberatus Joh. VI. 70. cap. XIII. 10. etiam cum arrhâ obligasset se Judas ad proditionem, apostolicum tamen numerum non deseruit, sed se fidissimum Domini sui clientem, sincerissimumque discipulum, verbis & gestibus omnibus professus est. neq; Christus ipsum in specie unquam publicè proditorem declarare voluit, etiam cum Johanne in aurem aperuisset, cum fore sui latronem cui porrecturus esset offulam. neq; enim reliquorum Apostolorum aliquem inde sequius quid de Ischariote concepisse inde patet, quod cum bile & furore infernali per fusus Judas, oculis necem interficium promittentibus, consurrexisset, & à Christo ultima illa acceptisset: quod facias; Apostoli putarunt quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. Unde patet eum immaturo discessu, semetipsum ante consummatam conviviorum omnium, etiam sacra cœna ut sanctissimi epuli solemnitatem, prodere noluisse, sed etiam convivio sacramentali, singularibus pediluvii ceremoniis dicato & intimato, hospitem interesse voluisse (4) Johannes cap. XIII. v. 30. diserte testatur noctem fuisse cum proditor discessisset, in quam agni paschalis commestio extensa non fuit, sed quæ sine dubio omnem terminavit cœnarum illarum apparatus. Cœna enim, quam eucharistica, communio finit vesperi instituta fuit, quod si ergo Judas non nisi in altâ nocte discessit, utiq; etiam illi cœna interfuit in quo sacramentum N. T. institutum fuit. Discessum autem suum Ischariotes in altam noctem & concubiam involvit, cum altera vigilia dum præteriisset, monente Theophylacto, ut securius in suis tenebrarum operibus sibi, Satana & hoc fere deterioribus consistorialibus Judæorum va-

care posset (s) Argumenta κατ' ἀρθρού Pontificis opponi possunt. Autoritas determinationis Eugenianæ C. si sacerdos X. de officio ordinarii. Ubi Pontifex sacerdotem non debere peccatori occulto eucharistiam perentim denegare, probat exemplo Domini, qui Judæ proditori tunc occulto, sacramētum corporis & sanguinis sui similiter ut cæteris Apostolis distribuit. Et quod Ps. CIX. 8. Act. I. 20. *Judas episcopatum habuisse dicitur*, quem (ex sententia Pontificiorum) accipere non potuit, nisi cum ipsi dictum fuisset in cœna hac: *hoc facite.*

§. VIII.

Eandem sententiam de Judæ mandatione sacramentali ex patribus laudatissimi quibus comprobant. Cyprianus in serm. de ablut. ped. Et in serm. de cœnâ. Hieronym. lib. II. advers. Jovin. qui indignè manducat corpus & bibit sanguinem Domini, reus est corporis & sanguinis Christi. Numquid, quia Judas de eodem calice Domini bibit, de quo & cæteri Apostoli, unius erit cum illu meritum? In Augustini calculo exsultat judicium magni Chemnitii libro de fundamētis cœnæ cap. X. ubi quinque aperta loca ex Augustino adducit quibus probat primam eucharistiam Judæ sicut cæteris Apostolis traditam esse (sunt verba Augustini in Psal. X.) Addi possunt loca, in tractatu VI. L. LXII. in Joh. occurrentia. Leo Ierm. III. de passione Domini in Judam sic invehitur, cur de ejus bonitate diffidis quite à sui corporis & sanguinis communione non repulit. Confet Bernb. serm. de cœna. Haimonem in i. Cor. XI. Remigium in cap. XXVI. Matth. Hugonem de sancto Victore lib. III. de sacr. part. VIII. cap. IV. Ex Græcis Patribus idem tueretur Chrysost. homil. LXXXIII. in Matth. o cœcitatene qui cum ineffabilibus mysteriis communicasset idem permanxit. In homil. de prodit: Judæ: o Christi misericordia! o Judæ dementia! Judas Christum triginta argenteis paciscebat, ut venderet Judæi, Christus ei sanguinem suum quem venediderat offert. In homil. Quod nemo læditur nisi a seipso. Judas habuit donum spiritus sancti, ita ut dæmones fugaret, leprosos mundaret, ægrotos sanaret, & illius sacra cœna Christi venerandig sacramenti participes existeret. Eadem inculcat in i. Cor. XI. Cyril, Hieros. Cateches. XIII. Judas bibens poculum benedictionis pro salutari potu sanguinem iustè effundere volebat. Et Theodoretus in i. Cor. XI. non solum, ait, undecim Apostoli, sed & Judæ proditori pretiosum corpus & sanguinem impertiuit &c.

§. IX.

Sententiae huic, de Judâ indigno in sacra cœna hospite, non paucivires & eruditiores suam etiam ex antiquitate opposuerunt, asserentes Judam in institutione sacra cœna non adfuisse: ut Tatianus & Ammonius in Harm. Clemens

mens lib. V. Constitut. Apostolicarum cap. XIII. Hilar. can. XXX. in Matth. Ruper-
tus in cap. VI. Joh. Innocentius III. lib. IV. de myst. missæ cap. XIII. Theophy. in cap.
XXVI. Matth. Ex Pontificiis Turrianus lib. V. const. Clement. Salmero tomo IX.
tractat. III. Barrad. in hunc locum. Ex Calvinianis Lambertus Danæus; Wolfgang
Musculus Kleinwitzius. Piscator. Potissima contraria (à Salmerone stu-
diosè conquisita) argumenta, omnino exilis ponderis, & in præjudiciis de
tempore quo semet cœnæ sacræ pedumq; lotio exceperunt sunt radicata: ut
quod Christus buccellam in cœna prima agni paschalis Judæ porrexit, qui
sumta eâ confessim exiverit: quod Matthæus & Marcus Judæ manifesta-
tionem institutioni eucharisticorum mediorum præmittant. Superius enim
evicimus Lucam veram temporis scriem accurate annotasse; Matthæum au-
tem cum Marco in hujus historiæ enarratione anticipatione usos fuisse, &
exprimere voluisse Christi commotionem justissimam, ex induratisimi di-
scipuli sui malitiâ conceptam, quam nec luavis conversatio, nec sodalitium
in conviviis, imo nec corporis & sanguinis sacratissimi communio ad meli-
orem frugem ducere potuerint. In hanc sententiam D. Gerh. Harm. c. CLXXI.
testatur, se cum illa scriberet secus ac olim sentire, ac tūm firmiter statuere,
buccellæ traditionem fuisse factam non ante sed post sacræ cœnæ institu-
tionem: Et Matthæum cum Marco in describenda proditoris denunciatione
anticipatione usos esse. Obij (2) Christum mandasse ne projiciatur sanctum
canibus, Resp. quâ judicium humanum & externam convictionem, Judam
tum nondum fuisse canem sanguinis innocentis sipientem, sed duntaxat in
conspicu Dei, & qua truculentorum conciliorum conceptionem, à quib⁹
Christus ipsum seriis monitis revocare nitebatur. Obij (3) peccare illum,
vel ad minimum alienis peccatis communicare, qui indignum quem facile
à sacræ cœnæ usu arcere potest, non prohibet. Resp. si peccatum intra Dei
solius, & hominis parturientis scientiam subsistat, adeoque intra conceptus
damnata matricem lateat, non opus est ut in lucem semper protrahatur,
sed sufficit si seriis & gravibus dehortationibus, quantum fieri potest, cohi-
beatur. Quomodo peccatum Judæ plenē in externum actum tum nondum
deductum fuerat, neq; si eo venisset, quæreretur quid Christus circa detecti-
onem sceleris ex omniscienciat agere potuerit, sed quid ordine bono, in Ec-
clesiâ postmodum servando, facere & fieri voluerit. Neq; Christus remediu-
m suu corporis & sanguinis Judæ invidere voluit, si vel eo tandem commo-
veri se paſlus fuisset in justiæ & gratitudinis semitas reduci.

S. X.

Hactenus Judam à sacræ corporis & sanguinis dominici communione

B 3

non

non absuisse indicavimus. Neq; ultius immorabitur abortivis nonnullorum opinionibus v. g. (1) illorum, qui buccellam proditoris demonstrativam, ipsum corpus sacramentale fuisse docent, quâ gratiâ Origenem comm. in Job. id afferentem D. Gerh. Harm. lxx cap. CLXXII: & Theodorus Zwingerus idem incalcentem D. Dorscheus in consid. declarationis sententiae de sacra cœna disp. III. §. 19. refellunt (2) aliorum, qui Christum sacrum panem in fine agni paschalis distribuisse, Judam vero ipsum non comedisse sed occultasse volunt. Meminit opinionis hujus Theoph. in cap. XXVI. Matth: sunt inquit, qui dicunt propter Judam hoc, bibite ex hoc omnes, esse dictum. Judas enim panem accepit & non comedit, sed occultavit, ut monstraret Judæi, quod panem corpus suum vocaret JESUS, pœculum autem invitus bilit. cum non posset occultare. Ex quo loco Croquetum inde probantem illum eccl. te ritum quo Eucharistiam veteres reservabant (his verbis: contendunt enim quidam veteres, Judam etiam tum apostolum, ita suscepisse, ut partem absumeret, partem adseraret, quam postea spectandum, irridendum, Christi proferret hostibus ut suam illu magis fidem approbaret) omnibus tanæ mentis candidatis deridendu proponit Chamier Panstrat. tom. IV. lib. VII. cap. X. Hos inquam & similes opinionum abortus de manducatione Judæ, ut omni fundamento sacro & Ecclesiastico destitutos, hac vice dimittemus, & strictum illud, quod in sacris symbolis proditor accepit, exponemus.

S. XI.

Percepisse autem ipsum Judam cum pane & vino, quod verba institutio-
nis, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus, promittunt, inde patet
(1) quodidem, eodem modo Judæ, quod & quomodo cœceris Apostolis à
Christo in sacrâ cœnâ oblatum fuit. Neq; n. Apostolis dixit hoc est; Judæ
vero, hoc significat corpus & sanguinem meum, sed idem exhibuit omnibus,
quâ gratiâ Marcus c. XIV. 23. addit bibisse ex sacratissimo calice omnes: (2)
quod indignitas lumentis integratatem sacramenti in se nec ponit nec tollit,
nisi absurdissime statuere velimus: indignis partem sacramenti adeoq; non
integrum administrari. Fidem utentis absolvere sacramenti essentiam.
Unionem sacramentalēm non pendere ab institutione & virtute divina sed
ab arbitrio lumentis. Manducationem indignorum sacramentalēm non esse.
Communicantes reatum æterni judicii contrahere ex nudi panis & vini usu,
quorum tamen usurpatio in se sine peccato est; Eadem manducationem
indignorum ipse Paulus 1. Cor. XL v. 27. 28. 29. 30. 31. 32. distinctè & per-
spicue afferit (1) ex ipsis institutionis verbis, qua communionem non so-
lius panis & vini, sed & corporis & sanguinis Christi omnibus manducanti-
bus

bus promittunt quā gratiā Apostolo (2) iutroducīt panem Hunc: & calicem
Domini vers. 27. quo indigne sumto (3) pœnalis obligatio contrahatur cor-
poris & Sanguinis v. 27. tanquam ex objecto & re illâ, ex cuius indignâ con-
trectatione reatus est, confer Deut. XIX. 6. Jac. II. 10. Idem confirmat (4)
ex causâ ex qua indigni judicium sibi sumunt; quod scilicet non di-
scernant corpus Domini.

Horrendum Iude factum finisq; tremenda.
Ad DOMINI monitus qui tremit, illa sapit.

Hermannus Schuckman/D.

Ad Praeſtantissimum Dominum Reſponsurum

De Mysterio Cœna Eucharisticae.

Ter sancte pandes Domini mysteria Cœna:
Quam pauci sunt hac qui reverenter habent.
Tu, Theodore, sacre ſic dices mystica cœna
Proſuas ut multis inde futura ſalus.
Tu patuli lateris tu stagna rubentia JESU
Sifflis: & ex fonte hoc purior ipſe bibis.

Celerr. honori & amori
erga DN. Respondentem
L. M. Q.

Augustus Varenius, D.

Calcando cathedram, Jüting, tibi queris honores
Promittis Patria & gaudia magna tuis
Macte igitur virtute tua, nunc pergit, Christo
Auspice, sic Patria gratus eris q; tuis,
Hæc Populari suo charissimo THEODORO JÜTING,
S.S.Theol. & Phil Stud. solertiss. scribebat
M. Antonius Zwick.

Exeris ingenii dotes animiq; vigorem
Quem tibi concesſit ſummus ab axe Deus.
Ergo tuum incepturn quis non bone amice probaret?
Gratulor, & ſato pectore fauſta precor;

ut

*Ue labor iste tuus divinis cedat honorē
Et patria quondam commoda multa feras.*

Hoc Præstantiss. Humaniss. Dn. Theodoro Jütingio,

Amico conjunctissimo ac Populari suavissimo

Cum voto omnis prosperitatis ponebat

Hermannus Hoges Osnab. Westph.

Cuncta ferè bellis quando confusa videntur
Paceq; propulsà bella subinde fremunt,
Certandoq; sibi miles promittit honores,
Sapius en Miles tollitur è medio.

Ast tu, Jütingi, Duce bellum quando Jehovā
Suscipis cum claro præside Theologo,
Et sancti hereticos spiraminis ense refellis
Verba Sacramenti qui minuere Dei,
Non vitam perdis, vitam famamq; sed auges,
Atq; viam vite pandis, Amice, poli.
Pergito sic sancti mysteria pandere verbi,
Et studio dignus tete manebit honor.

Testandi affectus & congratulationis
animo scripsi

Franciscus Guilhelm von Ramshausen
Quakenbrug à Westph.

Pectore cur miles constanti magni pericla
Sponte capit? cur & præstanti vulnera multa
Mente fabit? na ut laudem, spolia & ampla reportet?
Tu quoq; nocte dieq; studens Heliconis in hortis
Jüting, Calliepes splendor, de ponte cathedre
Quo te traxerunt, tradis, Heliconis alumnae
De Sacramentis dum profers dogmata sacra;
En! est dulcis bonus, quem digna brabe sequentur.

Honoris & amoris ergo amico percharo
applaudebat

Johann, Ludolph Meyer/
Osnab. Westph. L. L. Stud.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740018418/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740018418/phys_0019)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740018418/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740018418/phys_0020)


DFG

mens lib. V. Constitut. Apostolicarum cap. XIII. Hilar. can. X.
tus in cap. VI. Job. Innocentius III. lib. IV. de myst. missæ cap. I.
XXVI. Matth. Ex Pontificiis Turrianus lib. V. const. Clement
tractat. III. Barrad. in hunc locum. Ex Calvinianis Lamber
gang Musculus Kleinwitzius. Piscator. Potissima contrari
diosc conquisita) argumenta, omnino exilis ponderis,
tempore quo semet cœnæ sacræ pédumq; lotio exceperu
quod Christus buccellam in cœna prima agni paschalis
sumta eā confessim exiverit: quod Matthæus & Marc
tionem in institutioni eucharisticorum mediorum præmit
evicimus Lucam veram tetuoris seriem accurate anni
tem cum Marco in hujus historiæ enarratione anticipa
exprimere voluisse Christi commotionem justissimam,
scipuli sui malitiâ conceptam, quam nec luavis convers
in conviviis, imo nec corporis & sanguinis sacratissimi
orem frugem ducere potuerint. In hanc sententiam D. G
testatur, le cum illa scriberet secus ac olim sentire, ac tunc
buccellæ traditionem fuisse factam non ante sed post sa
nem: Et Matthæum cum Marco in describenda prodit
anticipatione usos esse. Obji (2) Christum mandasse ne
canibus, Resp. quā judicium humanum & externam co
tum nondum fuisse canem sanguinis innocentis siente
conspictu Dei, & qua truculentorum conciliorum con
Christus ipsum seris monitis revocare nitebatur. Ob
vel ad minimum alienis peccatis communicare, qui in
a sacræ cœnæ usu arcere potest, non prohibet. Resp. Si
soli, & hominis parturientis scientiam subsistat, adeo
damnata matricem lateat, non opus est ut in lucem
sed sufficit si seris & gravibus dehortationibus, quanti
beatur. Quomodo peccatum Judæ plenè in externum
deductum fuerat, néq; si eo venisset, quæreretur quid
onem sceleris ex omniscienciat agere potuerit, sed quid
clesiā postmodum servando, facere & fieri voluerit. N
um sui corporis & sanguinis Judæ invidere voluit, si ve
ri se paclus fuisse in justiciæ & gratitudinis semitas re

S. X.

Hactenus Judæ à sacrâ corporis & sanguinis do

B 3



the scale towards document